

illum in actu exercito. Pro qua doctrina elucidanda occurrunt nonnulla exempla; sed sufficit prout exemplum relationis, & actus liberi Dei. Relatio enim vnica paternitatis ex se sufficiens est, vt actu referatur ad plures filios, ad quos actu non referitur, quando actu non existunt, non ob defectum relationis, sed quia posito primo filio alij non existunt: semel tamen alijs existentibus, statim incipit referri actu non solum ad primum, sed etiam ad ceteros, quin ex hoc arguatur aliqua immutatio ex parte relationis, sed ex parte termini. Actus etiam liber Dei potest actu terminari ad creaturas; actu tamen non terminatur ad illas, antequam connoter earum existentiam, quin ob hoc arguatur aliqua immutatio ex parte ipsius actus, sed sufficit immutatio ex parte connotati.

121 Ad primam confirmationem respondetur, futurum existere intelligibiliter in specie angelica per modum cuiusdam quidditatis possibili, absoluta ab omni ordine & connexione cum seipso, prout in esse physico extitum est. Igitur quoniam Angelus cognoscens hanc speciem, cognoscit etiam futurum intentionale, non verò prout habitum est existentiam, quia ad hoc præter representationem exercitam futuri in actu signato debet dari etiam representatio exercita futuri in actu exercito, quam non facie convincit arguens.

Secundam confirmationem (quia suam) valde magnificat Ferre, pro cuius solutione & ingenuè fatetur existentiam sui ingenij, & desiderat alios audire. Sed non est tanti momenti, vt nequeat quis, ceteri inferioris ingenij, illam facile solvere. Et sic audiat nos, qui iuxta doctrinam N. Salm. in præf. disp. 7. num. 23. & à num. 32. respondemus, Angelum non solum habere species representativas rerum, quæ aliquando extitisse sunt, sed etiam possibilem, dummodo contingantur in virtute causarum pertinentium ad hoc vniuersum: quia huiusmodi possible in virtute iam pertinent ad hoc vniuersum: & hoc sufficit, vt Angelus habeat species eorum, vt sic hæc cohæreant cum his, quæ diximus num. 115. Hoc ergo supposito, facie intelligitur, Angelum ex eo, quod cognoscit suam speciem, & huiusmodi futura per eam representata, non posse formare iudicium certum de eorum existentia, antequam existant, quia hæc species non ea representant nisi per modum cuiusdam quidditatis possibili. & cum alias in illa contingantur intelligibiliter non solum futura, quæ verè sunt futura, licet non vt talia, sed etiam quæ tantum sunt possible, non potest certò in specie representante Antichristum (v.g.) cognoscere, an sit ex illis obiectis, quæ habitura sunt existentiam.

Ad tertiam respondetur, quod idem dicendum est de præteritis, quæ nunquam cognita fuerunt ab Angelo, si quando extiterunt, nul-

lum vestigium sui reliquerunt: nam si illud reliquerunt, potest in eo cognoscere certò præterita: quia licet non sint præsentia in se, sunt tamen in tuo vestigio, ad quod maxime iuvat acutissimum ingenium ipsius Angeli. Idem dicendum est, si semel illa cognoverit, quando erant præsentia: ad quod sufficit, quod illa species maneret determinata in actu secundo ad cognitionem illorum, quæ actualiter terminantur cognitionem Angeli: quæ cognitio debet dici *abstractiva* presupponens necessario intuitivam præteritam, ac proinde est quasi temerorativa cognitio, quia in Angelis non est propria memoria. Nam si species hominis manent determinatæ ad hoc, vt possit per illas certò cognoscere præterita, eo quod aliquando ea cognovit, cur hoc denegandum est Angelis excedentibus hominem in acumine & intellectualitate?

Nec hæc determinatio relinquit aliquid intrinsecum novum in specie, quod antea non habebat (vt sic præoccupemus quandam replicam) quia hæc est eminentia speciei angelicæ, quod sicut non representat actu singularia vltimum existentia; & quando existunt, absque immutatione sui illa representant; sic ob eius eminentiam durat eius representatio quoad præterita, si semel deserit: ita ad cognitionem illorum, quin ad hoc recipiat, aut indigeat aliquo intrinsecò superaddito.

§ IV.

Argumenta contra secundam conclusionem.

122 Cogitationes cordis naturales non esse ex natura sua Angelis occultas, sed quia Deus denegat suum consensum Angelis malis ad eas cognoscendas, sentit Scotus pluribus in locis, quem sequuntur omnes eius discipuli. Scoto iustitiam Gabriel, Durandus, Herbasus, Argentinas, & Henricus. Qui us aggregari ex parte possunt communiter Patres societatis, quatenus asserunt, rationem D. Thomæ non esse efficacem.

Arguitur primo: Nam Angelus habet ex parte sui quicquid requiritur ad cognitionem secretorum cordis: ergo potest naturaliter ea cognoscere. Antecedens probatur: nam intellectus informatus specie representante alicuius obiecti est potens in actu primo ad illud cognoscendum; sed intellectus cuiusvis Angeli est informatus specie representante secreta cordium: ergo habet quicquid requiritur ex parte actus primi ad cognoscenda secreta cordium. Minor probatur: nam si ad Angelum dirigantur, iam est informatus specie ea representante; sed hæc directio non ponit speciem in Angelo, nec de notò infunditur a Deo, vt constat ex supra dictis: ergo est informatus specie representante secreta cordium.

Confirmatur: Nam cogitationes cordis sunt ex se obiectum proportionatum respectu intellectus angelici: ergo naturaliter potest illa cognoscere. Antecedens probatur: Tum, quia sunt obiectum proportionatum respectu efficientis: ergo etiam respectu non efficientis. Patet consequentia: nam quicquid continetur intra sphaeram obiecti proportionati vnus Angeli, etiam debet contineri intra sphaeram obiecti proportionati alterius. Tum etiam: nam omne ens naturale est obiectum proportionatum intellectus angelici, sed secreta, de quibus loquimur, sunt ordinis naturalis: ergo idem quod prius. Tum denique: nam voluntas, voluntas, & habitus existentes in vno Angelo sunt obiectum proportionatum alterius Angeli: ergo etiam actus naturales illius patet consequentiarum à paritate. Tum & quia qui potest intueri principium, etiam potest intueri effectus naturaliter contentos in tali principio.

123 En argumentum à priori Scoti. Ad illud respondetur, quod Angelus, etiam habet materialiter quicquid requiritur ex parte actus primi ad cognoscenda in altero Angelo secreta cordium; non tamen formaliter: quia ad hoc requiritur aliqua conditio extrinseca, sine qua tam virtus cognoscitiva illius, quam species nequeunt exire in actum secundum representandi & cognoscendi. Hæc autem conditio consistit in eo, quod obiectum pertineat ad ordinem vniuersi; quod de secreto cordis alicui non valet propter dicta num. 115. vel in eo, quod vnus Angelus suum secretum cordis ad alium dirigat: quia ante directionem illam non pertinent ad ipsum. Vnde vsquedum secretum vnus dirigatur ad alium, nequit ab hoc cognosci, neque species potest actu illud representare. Posita tamen illa directione, statim species illud representat in actu secundo, & Angelus, ad quem dirigitur, potest illud cognoscere. Quod multoties contingit in alijs rebus: nam imprimis futurum non reformatur quoad existentiam prout exercendam determinate, vsquedum sit actu existens: posito tamen in rerum natura, species illud actu representat, vt vidimus §. precedenti. Deinde dum vnus Angelus alteri tantum loquitur, necit alius tertius, an & quid illi loquatur; scit tamen is, cui loquitur, quod, & quid illi loquatur; non quia infundat ei novam speciem, sed quia ad eum dirigat suum conceptum: qua directione iupposita, absque vlla immutatione ex parte sui incipit ad illum pertinere: & pertinet ad tertium, si etiam ad eum dirigeretur.

124 Ad confirmationem respondetur, negando antecedens. Ad cuius primam probationem dicimus, quod ultra convenientiam in immaterialitate in super desideratam, quod obiectum pertineat ad ordinem vniuersi, vel ad ipsum Angelum cognoscendum. Vnde cum leg-

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

certa cordium pertineat ad ipsum Angelum efficientem, & non ad alium, antequam ad eum dirigantur, & aliunde non pertineat ad ordinem vniuersi; hinc est, quod sunt obiectum proportionatum respectu vnus; & non respectu alterius. Ad secundam dicimus, quod non omne ens naturale, prout contraponitur supernaturali, est obiectum proportionatum intellectus angelici; alias actus liber Petri futurus esset obiectum proportionatum Angeli, cum continetur intra limites ordinis naturalis; quod non concedunt Adversarij. Aliud igitur requiritur, vt aliquid sit obiectum proportionatum, nempe quod pertineat ad ordinem vniuersi, vel ad illud efficiens; quod nec de futuris, nec de actibus liberis existentibus verificari valet, licet ex diverso capite: nam futurum non pertinet ad illud, quia non habet existentiam; actus verò liber, quia, estò existat, non dependet à causis vniuersalibus huius vniuersi.

125 Ad vltimam probationem respondeatur cum D. Thoma quæst. 9. de Verit. art. 4. ad 11. vbi ait: *Cognoscibilitas natura angelicæ* (idem intellige de voluntate, quia est proprietas illius) *non dependet ex voluntate Angeli: ideo non requiritur locutio in Angelis ad cognoscendam naturam, sed ad cognoscendam cogitationem cordis.* Vnde sicut natura non est occultabilis, quia est actus pars huius vniuersi, sic etiam voluntas, ideoque sunt naturaliter cognoscibiles ab altero Angelo. Econtra verò quia actus liberi non pertinet ad ordinem vniuersi, nequeunt ab alio naturaliter cognosci. Bene verum est, quod etiam voluntas, prout est principium determinatum actus liberi, est occulta; sed hoc non tollit, quod ipsa voluntas vt naturalis, seu prout est indifferens vage, queat cognosci, quia prout est necessaria.

Idem dicendum est de habitibus naturalibus sive infundantur, sive per actus proprios acquirantur: quia producuntur cum speciali ordine ad hoc vniuersum, cum possit elicere aliquas operationes pertinentes ad ipsum. ¶ Nec refert, quod prædicti habitus efficiantur liberè ab ipsis actibus. Nam etiam actus externi sunt cognoscibiles quoad substantiam, estò dependant ab actu libero voluntatis. Et ratio vtriusque est: quia actus externi quoad substantiam non dicuntur dependentiam necessariam ab actu libero voluntatis, nec habitus voluntatis quoad sui permanentiam. Nisi mavis dicere, actus liberos, quatenus liberi sunt, non producere habitus, sed potius vt causam naturalem: & ideo rectè cohæret habitus cognosci ab Angelo, quia effectus naturales sunt, secus verò actus, quia estò sint causa illorum, omnino liberi sunt.

126 Arguitur secundò: Nam ideo actus liberi vnus Angeli non possent ab altero cognosci, quia solè dependent à Deo & ab illis efficientibus; sed hoc non obstat: ergo. Probatur minor

Bb 2 Tum

Tum, quia plura sunt, quæ à Deo tantum producuntur, vt sunt cœli, anima rationalis, & Angeli; & tamen ab Angelo naturaliter cognoscuntur. Tum etiam: quia actus externi liberi solùm dependent à voluntate hominis; & tamen cognoscuntur ab Angelo. Tum denique: nam actus necessarii intellectus & voluntatis, in super motus primi mobilis solùm sunt à Deo & à solo Angelo motore; & tamen cognoscuntur ab altero: ergo.

Confirmatur *primò*: Nam vnus Angelus comprehendit intellectum & voluntatem alterius Angeli, maxime inferioris: ergo potest certò omnes eius actus naturales siue liberos, siue necessarios cognoscere. Probatur consequentia: nam qui cognoscit comprehensivè potencias alicuius subiecti, etiam potest cognoscere omnes effectus illarum: ergo si vnus Angelus comprehendit intellectum & voluntatem alterius, etiam potest certò cognoscere actus liberos illius. Antecedens probatur: nam qui comprehenderet Deum, etiam cognosceret actus liberos illius: ergo.

Confirmatur *secundò*: Quia saltem ex nostra sententia sequitur, posse Angelum naturaliter cognoscere actus internos alterius quoad substantiam: ergo non sunt omnino incognoscibiles ab eo. Probatur antecedens *primò*: quia idem actus potest transire de libero in necessarium; sed potest cognoscere actus necessarios: ergo etiam liberos saltem quoad substantiam. *Secundò*: Angelus potest cognoscere motus liberos quoad substantiam appetitus sensitivi; ergo etiam actus liberos voluntatis quoad substantiam. *Addit*: Quia Magi instructi à dæmone revelant actus liberos intellectus & voluntatis humanæ: & dæmones, qui assuntur energumenis, noscunt imperia mentalia subiectis imposita ab Exorcistis: ergo cognoscunt actus liberos mentales hominis.

127. Ad argumentum respondetur, negando minorem. Ad cuius primam probationem dicendum, quòd omnia, quæ in ea continentur, pertinent ad hoc vniuersum; & ideo possunt ab Angelo cognosci, estò tantum dependant à Deo. Pro quo sciendum est, vniuersum hoc coalescere ex omnibus naturis creatis corporeis & spiritalibus: nam cum hoc vniuersum sit valde perfectum, perit, vt includat in se aliquas naturas, quæ sint perfectæ & parè intellectuales, vt sunt Angeli. Ob hanc solùm rationem homo solet dici *Microcosmos*, id est mundus parvus, seu epilogus continens in se aliquid, in quo conveniat cum cæteris partibus huius vniuersi maioris, inter quas computantur Angeli. Ex his iam conitat ad primam probationem: ideo enim Angeli, anima rationalis, & cœli naturaliter conofcuntur ab Angelo, quia Deus tribuit ei species omnium rerum spectantium ad hoc vniuersum. Vnde non est mirum, quòd estò

vnice producatur à Deo, possint naturaliter cognosci ab Angelo.

Ad secundam probationem respondetur, quòd actus externi sunt quoad substantiam Angelo noti, quia per se sunt manifesti. Si verò loquamur de illis quoad ordinationem liberam, procedendum est cum distinctione: nam vel esse petunt pendere ab actu, electioneque voluntatis; vel non? Si non petunt, non cognoscit illos quoad ordinationem liberam. Si verò petunt, non solùm cognoscit eos quoad substantiam, sed etiam quoad præfictam ordinationem. Sed hoc ideo est, quia sunt manifestatiui actus interni: quia coipsò quòd illos adextrà producat, dirigit illos ad quemlibet Angelum. Et hæc est ratio, quare ex se sunt manifesti, quia sunt ratio formalis manifestandi actus interiores.

Ad tertiam respondetur, actus necessarios: ideo esse cognoscibiles naturaliter ab Angelo, estò ab illo non procedant, quia sunt necessariò connexi cum Angelo & illi debiti, habentque se quasi proprietates illius. Vnde si Angelus naturaliter cognoscitur cum suis potencijs ab alio, etiam isti actus possunt cognosci. Ad id quod tangit de motu colorum: Respondetur, motum illum per se pertinere ad hoc vniuersum; & cum alias sit manifestatiuus imperij angelici, quo cœlum movet (quia coipsò quòd cœlum movet, vult suum actum internum per talem motum manifestare) ideo naturaliter cognoscitur talis motus & actus internus, qui est causa illius (idemque dicendum est de motu locali Angelorum) quod de actibus omnino occultis verificari nequit.

128. Ad primam confirmationem respondetur, ex vi comprehensionis alicuius nature, vel potencie non sequi cognitionem certam actuum liberorum, sed solùm necessarium, vt nunc supponimus contra Vazquez. Ad probationem dicimus, quòd licet comprehens Deum etiam cognoscat actus liberos illius; non tamen ex meritis ipsius comprehensionis, sed tantum arguitivè, quia nimirum habet cognitionem ininitam, cui nihil potest latere.

Ad secundam confirmationem respondeatur, negando antecedens. Quia actus liber, licet non addat supra necessarium nisi quandam modum accidentalem; dum tamen elicitur liberè à voluntate, totus est liber etiam quoad substantiam. Vnde si ob hæc rationem nequit ab altero Angelo quoad terminationem liberam cognosci, nec poterit quoad substantiam. Ad primam probationem dicimus, quòd estò idem actus possit transire de libero in necessarium, & e contra; non tamen sequitur ex hoc, quòd Angelus cognoscat semper illum quoad substantiam: quia quando elicitur liberè, non elicitur liberè solùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam, cum possit voluntas proprio libito illum absolute non ponere. Contrarium

rium verò accidit, quando transit in necessarium; quia adæquate non potest non poni. Ad secundam respondetur, esse notam disparitatem inter actus liberos intellectus & voluntatis, & inter actus appetitus sensitivi: Nam illi non pertinent ad hoc vniuersum adhuc quoad substantiam, quia non dependent ab aliqua causa naturali huius vniuersi. At motus liberi appetitus sensitivi non solùm dependent à voluntate, sed etiam ab alijs causis huius vniuersi. Quare optime potest Angelus cognoscere hos motus quoad substantiam, licet non quoad ordinationem liberam; nisi essent tales, quòd non possent elici, nisi à voluntate imperarentur. Ex quo inferitur, quòd cum imaginatio possit vehementer excitari à passione, & voluntas possit illi non consentire, potest Angelus cognoscere illum motum, quin cognoscat illum actum voluntatis, quo non consentit.

Ad additamentum respondetur, quòd Magi instructi à dæmone interdum revelant actus liberos intellectus & voluntatis; hoc tamen non fit, quia dæmon certò cognoscit cogitationes internas hominis, sed quia eas pure coniecturaliter cognoscit per aliqua signa levissima. Sicut peritissimus Medicus ex levisimis signis coniecturaliter cognoscit infirmitatem latentem, & aliquas affectiones liberae internas ex signis externis. Ad id quod tangit de Exorcistis, quorum imperia mentalia cognoscit dæmon: Dicimus hoc verum esse, sed ortum ducit ex eo, quòd Exorcista dirigit ad ipsum suum conceptum mentalem: qua directione & ordinatione præhabita, iam incipit pertinere ad dæmonem.

DUBIUM VII.

Utrum Angelus possit naturaliter certò cognoscere effectus supernaturalales & mysteria gratiæ?

129. RES supernaturales sunt in duplici differentia. Aliæ enim sunt præcisè quoad modum; non quia in se sint supernaturales intrinsecè, sed quia vt hic & nunc circumstantiæ petunt causam efficientem supernaturalem, vt mortui resurrectio, & vnus restitutum. Aliæ verò sunt supernaturales quoad substantiam & intrinsecè, vt vnio hypostatica, vnio beata, gratia habitualis: quæ dicuntur tales, quia sunt supra exigentiam omnis nature creatæ & creabilis, neque possunt fieri à causis naturalibus. Has dari in rerum natura cum communi placito Theologorum potius supponimus, quam probamus: contra Malmtrium in præfenti quaest. 10. num. 314, qui, interpretans suum Subtilem Doctorem, docet entia supernaturalia quoad substantiam non distingui ab entibus supernaturalibus quoad modum nisi per ordi-

nem ad diuersa agentia, quatenus nimirum supernaturale quoad modum non est supra vires nature, nisi quantum ad contrasubstantiam, vt si fiat post privationem, vel contra ordinem nature: supernaturale verò quoad substantiam est supra vires totius nature.

Hæc autem explicatio entis supernaturalis communiter expeditur à Doctores. Et merito: nam si nullus est effectus, qui intrinsecè & quoad substantiam sit supernaturalis, vnde argui potest, quòd est supra vires totius nature? Nam si nullus est effectus intrinsecè & quoad substantiam supernaturalis: ergo intrinsecè est naturalis: ergo non erit supra vires naturales totius nature create. Maneat ergo, quòd dantur effectus entitativè & intrinsecè supernaturales, & qui non dicantur tales præcisè per ordinem ad agens ordinis superioris.

130. Inter entia entitativè supernaturalia alia sunt pure divina, vt mysterium SS. Trinitatis; alia pure creata, vt gratia habitualis; alia mixta, vt vnio hypostatica, quæ dicit quandam modum creatum & personalitatem Verbi. Quæstio procedit de omnibus his absque vilo discrimine) licet soleant in diuersis tractatibus iuxta qualitatem materiæ excitari) vt sic maneant hæc controversia ex omni capite exhausta; & quia ratio generalis est pro omni mysterio supernaturali siue creato, siue increato; & quia sub hac vniuersalitate proponit hanc difficultatem D. Thomas in præf. quaest. 57. art. 5. & forte non occurrit opportunior locus ad hæc omnia pertractanda.

Consultò tamen addimus in titulo dubij *naturaliter*: quia hoc adhuc potest intelligi in duplici sensu: vel nulla supposita revelatione; vel illa supposita, non vero supponente intrinsecas vires gratiæ, vt ad quod lumen supernaturale: Difficultas procedit in primo sensu; quod verò dicendum sit in secundo, decursu disputationis apparebit. Addimus etiam *certò*, ad excludendam omnem cognitionem coniecturalem circa prædicta mysteria: quia de hac, vt potest cognoscere error, non procedit quaestio, sed de cognitione certa aut evidenti. Quæ iterum potest considerari dupliciter: nam alia est cognitio certa horum mysteriorum quoad *an est*, & alia *certa*, evidens, & quidditativa, seu quoad *quid est*. De vtroque modo cognoscendi debet intelligi controversia.

Circa hoc ergo questum duplex militat sententia. Prima defendit, Angelum posse viribus nature cognoscere omnia mysteria gratiæ, absque distinctione. Ita Raymondus Lullus. Sed hæc sententia proscripta est à Gregorio XI. vt plures Authores narrant. Ideo alij temperant hanc sententiam dicentes, quòd potest illa cognoscere, postquam existunt in rerum natura. Ita Rada, & Angles: quibus ex parte subscribit communiter Schola Scotica cum tuo Subtili Ma,

Magistro 4. dist. 10. quæst. 8. quatenus concedit Angelo virtutem naturalem cognoscitivam aliquorum entium & mysteriorum supernaturalium, licet non omnium. Secunda sententia absque vlla restrictione est negativa. Quam cum D. Thoma loco supra relato tenet omnis eius Schola, & communiter Scholastici cum Magist. Sentent. 2. dist. 3.

g. I.

Sententia negativa nostra.

131 **D**icendum est, Angelum non posse naturaliter certò cognoscere aliquid mysteriorum gratiæ. Et probatur ratione D. Thomæ deducta ex loco supra relato: nam res supernaturales solum pendunt ex voluntate divina: ergo Angelus nequit naturaliter certò cognoscere effectum àique supernaturalem, sive aliquid mysteriorum gratiæ. Antecedens est certum, & supponitur ex doctrina Adversariorum. Et consequentia probatur: nam vnus Angelus nequit naturaliter certò cognoscere in altero secreta cordium, eò quòd pendunt vnice ex voluntate illius: ergo multo minus potest certò & naturaliter cognoscere res supernaturales, eò quòd pendunt ex voluntate divina. Quam rationem desumpsit Ang. Doctor ex Apost. 1. ad Corinth. 2. vbi sic arguitur: *Qui enim hominum scit, que sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita & que sunt Dei nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

132 Hæc ratio D. Thomæ infirma & nullius roboris censetur à Scotistis, necnon à pluribus Recentioribus extra scholam D. Thomæ, & ideo multipliciter ei occurrunt. Primò respondent, plura entia esse, que solum pendunt à voluntate divina, vt existentia Angeli, animæ rationalis, & colorum; & tamen cognoscuntur naturaliter & certò ab Angelo. Maximè, quia si hæc ratio esset efficax, probaret vtique Angelum non posse cognoscere res, que sunt supernaturales præcisè quoad modum, vt resurrectio Lazari, resurrexio visus, quia hæc etiam pendunt solum à voluntate divina.

Sed hæc solutio non infirmat rationem D. Thomæ, quia non penetrat eius vires. Ideoque potest iterum suscipi: nam id, quod ita pendet à sola voluntate divina, vt non pertineat ad ordinem vniuersi, non potest certò & naturaliter ab Angelo cognosci, quia ratione vsi sumus dub. præced. num. 115. ad probandum, quod Angelus naturaliter nequit cognoscere certò secreta alterius; sed res supernaturales ita pendunt à sola voluntate divina, vt non pertineant ad ordinem vniuersi, ergo nequeunt certò & naturaliter ab Angelo cognosci. Maior est certa; si vera sunt, que præbavimus loco citato circa

secreta cordium. Minor verò probatur: nam id, quod tantum pendet à voluntate divina, & à nulla causa vniuersali creata, & nullam connexionem habet cum entibus naturalibus huius vniuersi, nequit pertinere ad ordinem vniuersi, sed res supernaturales sunt huiusmodi, vt supponitur cum Adversarijs: scus verò Angeli, cœli, & anima rationalis, que connexionem habent cum hoc vniuerso, & sunt partes illius: ergo res supernaturales ita pendunt à sola voluntate divina, vt non pertineant ad ordinem vniuersi.

Adde: Nam dato quòd vniuersum hoc integretur ex rebus naturalibus & supernaturalibus, adhuc verum est in sententia Adversariorum, quod res supernaturales non dependent à causis naturalibus illius, neque connexionem habent cum rebus naturalibus: ergo Angelus nequit eas naturaliter & certò cognoscere. Patet consequentia: nam Angelus solum queit certò & naturaliter cognoscere res, que connexionem habent cum rebus naturalibus huius vniuersi, quia de his tantum sunt ei debita species.

Id autem, quod additur de rebus supernaturalibus præcisè quoad modum, facile dispellitur: Nam hæc semel productæ sunt partes huius vniuersi, connexionem habent cum rebus naturalibus illius, dependentque in suis operationibus à causis eius naturalibus: non ergo mirum, quod Angelus possit eas cognoscere.

133 Respondent secundò, quòd ad hoc, vt Angelus cognoscat rem supernaturalem, imò & ipsam voluntatem divinam, sufficit, quòd ipsa res supernaturalis existat actu: nam eo ipso est manifestativa sui ipsius & voluntatis diuine. Sicut licet vnus nequeat videre in seipsa voluntatem alterius, potest tamen videre effectum externum ab ea productum, & ex illo cognoscere eius voluntatem.

Nec hæc solutio infirmat rationem D. Thomæ: Nam ita se habet effectus supernaturalis voluntatis diuine, sicut se habet effectus internus voluntatis create, & nullo modo manifestatus per effectum externum: in hoc præcipue consistit paritas D. Thomæ; sed effectus internus voluntatis create, & nullo modo manifestatus per effectum externum; nequit naturaliter & certò cognosci ab Angelo, neque potest esse medium ad hoc, vt cognoscatur ipsa voluntas create: ergo neque effectus supernaturalis potest certò & naturaliter cognosci ab Angelo, nec potest esse medium ad cognoscendam voluntatem divinam. Consequentia est lagitima, minor supponitur à respondente, & constat ex dictis dub. præced. Maior verò soluitur eget explanatione: nam eo effectus internus voluntatis create, & nullo modo manifestatus aliquo signo externo, nequit cognosci naturaliter

& certò ab Angelo, quia nullatenus pertinet ad ordinem vniuersi; sed ita se habet effectus supernaturalis voluntatis diuine, vt constat ex dictis: ergo quoad hoc eodem modo se habent effectus internus voluntatis create, & quilibet effectus supernaturalis voluntatis diuine.

134 Probatur secundò ratione communi Theologorum, per quam magis roboratur ratio præcedens D. Thomæ: Nam res supernaturales & mysteria gratiæ non sunt obiectum proportionatum potentiæ cognoscitiuæ naturalis angelicæ: ergo Angelus nequit naturaliter & certò ea cognoscere. Antecedens probatur nam obiectum proportionatum etiuslibet potentiæ debet esse in eodem ordine cum ea; sed res supernaturales & mysteria gratiæ, & potentia naturalis cognoscitiua angelicæ non sunt in eodem ordine: ergo res supernaturales & mysteria gratiæ non sunt obiectum proportionatum potentiæ naturalis cognoscitiuæ angelicæ. Maior est certa: nam propter obiectum spirituale non est obiectum proportionatum potentiæ corporeæ, quia non sunt in eodem ordine: ob quam rationem docent Scotistæ, vitium corporeum non posse naturaliter videre aliquod obiectum purè spirituale. Minor probatur: nam obiectum spirituale, & potentia corporea non sunt in eodem ordine; ergo neque obiectum simpliciter supernaturale, & potentia naturalis.

135 Respondent primò Scotistæ, & alij, quibus hæc ratio videtur infirma, quòd obiectum proportionatum à cuius potentiæ & ipsa potentia non petunt esse in eodem ordine. Et ita intellectus creatus elevatus lumine gloriæ & Deus, pro vt est in se, non sunt in eodem ordine, siquidem Deus est in ordine increato & infinito, intellectus verò vt elevatus lumine gloriæ est in ordine creato & finito.

Sed contra: Nam potentia respiciens aliquod obiectum per modum potentiæ simplicis, hoc est independenter ab aliqua elevatione, debet esse in eodem ordine cum illo: ergo ruit solutio. Antecedens probatur, & explicatur aliquibus exemplis: nam imprimis potentia corporea & obiectum proportionatum illius debent esse in eodem ordine, itaut repugnet, quòd potentia corporea saltem absque elevatione videat obiectum spirituale. Rursus: intellectus creatus absque elevatione sine intrinseca, sive extrinseca nequit videre Deum, prout est in se; non alia ratione nisi quia non sunt in eodem ordine: ergo potentia recipiens per modum potentiæ simplicis aliquod obiectum debet esse in eodem ordine.

Exemplum intellectus creati vt elevati lumine gloriæ potius obest, quàm faueat huic evasioni. Nam quando obiectum est superioris ordinis cum potentia, nisi hæc elevetur saltem per participationem accidentalem ad eundem

ordinem, non potest vilo modo reddi proportionatum cum potentia: ob quam rationem quia Deus est ordinis diuini & supernaturalis, & intellectus creatus ordinis creati & naturalis; non potest hic Deum attingere, nisi prius eleuetur lumine gloriæ, quod est ordinis supernaturalis & diuini per participationem: ergo pariter intellectus creatus, vsquedum eleuetur per aliquam virtutem supernaturalem, nequit respicere res supernaturales vt obiecta proportionata illius.

Nec mirum est, quòd intellectus creatus, eò sit ordinis finiti & creati adhuc, vt elevatus lumine gloriæ, & Deus sit simpliciter ordinis increati & infiniti, possit intellectus creatus Deum videre: quia ex vna parte ens in tota sua latitudine continetur intra obiectum extensivum intellectus creati, & hic non concurrit per modum potentiæ simplicis, hoc est independenter ab elevatione ad videndum Deum: si enim concurreret per modum potentiæ simplicis ad cognoscendum Deum, proculdubio deberet esse omnino eiudem ordinis: ergo intellectus angelicus nequit sine elevatione cognoscere certò res supernaturales.

136 Respondent secundò Scotistæ, quòd licet res supernaturales sint superioris ordinis extrinsece, hoc est respectu causæ efficientis & subiecti, cui sunt indebitæ; intrinsece tamen & secundum entitatem consideratæ, & vt præcitantur ab omni extrinseca habitudine ad causam & subiectum, non sunt aterioris ordinis respectu virtutis naturalis cognoscitiuæ angelicæ: quia, postquam sunt factæ, sunt ordinis naturalis. Ratio huius est: quia supernaturalitas quoad substantiam non importat in ente supernaturali præiudicium intrinsecum constituens rem in tali esse, sed solum extrinsecam relationem ad causam efficientem supernaturalem & ad subiectum, cui sunt indebitæ.

Sed hæc solutio, cui maxime fidunt Adversarij communiter reijcitur à Doctoribus Thomasti & Societatis: et notavius num. 129. vbi explosa manet explicatio hæc entis supernaturalis quoad substantiam: iterumque expolitur multipliciter. Primò: Nam res, que specificatur ab ente intrinsece supernaturali, nequit non dicere prædicatum intrinsece constituens eam in esse supernaturali; sed plura entia creata, que specificantur ab ente intrinsece supernaturali: ergo important prædicatum intrinsecum constituens eam in esse supernaturali. Minor constat in visione beata, actu charitatis, & in visione hypostatica, que specificantur à Deo sub ratione. Deitatis. Maior verò probatur, alioquin res, que est naturalis quoad substantiam, posset specificari ab ente intrinsece supernaturali, siquidem quoad prædicata intrinseca est eiudem ordinis cum ente supernaturali quoad substantiam, vt passim concedunt Adversarij.

137 *Secundò*: Nam si ens supernaturalis quoad substantiam solum est supernaturalis, quia petit causam intrinsecè supernaturalem, sequitur, quòd intellectus elevatus lumine gloriæ non possit elicere visionem beatam; hoc non potest dici: et o explicatio illa entis supernaturalis sustinenda non est. Probatur sequela mai. nam per vos ens creatum supernaturalis quoad substantiam petit causam intrinsecè supernaturalem; sed per vos lumen gloriæ creatum non inportat prædicatum intrinsecum constituentis illud in esse supernaturali: ergo intellectus elevatus lumine gloriæ nequit elicere visionem beatam.

Vel in versis terminis: sequitur, quòd intellectus sine lumine gloriæ, aut sine aliquo supernaturali extrinsecò suppleto eius vices, possit præcisè suis viribus naturalibus elicere visionem beatam; sed hoc non concedunt Adversarij: ergo. Sequela mai. probatur: nam lumen gloriæ, necnon visio beata quoad prædicata intrinsecè sunt eiusdem ordinis cum intellectu, ut passim fatentur Adversarij; sed intellectus creatus cum lumine gloriæ potest elicere visionem beatam: ergo etiam intellectus sine lumine gloriæ.

Ex quo vterius inferatur, quòd voluntas sine habitu charitatis possit elicere amorem Dei supernaturalem propter eandem rationem: ergo homo sine viribus gratiæ potest se disponere ad gratiam sanctificatam; sed hoc est hereticum & contra Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. & 6. & can. 3. ubi hæc habentur: *Siquis dixerit sine prævenienti Spiritus sancti inspiratione, atque adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, et ei iustificatiõis gratia conferatur, anathema sit: ergo.*

§. II.

Argumentorum enodatio.

138 **T**Or, & adeò graves difficultates occurrunt contra nostram conclusionem, ut concernant ferè omnes tractatus Theologicos: vnde omnes proponere & resolvere esset in immensum abire. Non onitemus tamen præcipuas & graviores, ut ex eam enodatione magis patebat veritas nostræ assertionis: & quia ex illarum solutione facile deduci potest eversio aliarum minoris momenti.

Arguitur ergo primò. Angelus solo lumine naturali potest e videnter cognoscere vniõnem hypostaticam; sed hæc est supernaturalis quoad substantiam, & inter entia creata excellentissima: ergo potest Angelus virtute sua naturali cognoscere certò saltem aliqua entia supernaturalia quoad substantiam. Probatur mai. nam Angelus solo lumine naturali comprehen-

dit humanitatem Christi, & consequenter ab sentiam subsistentiæ propriæ; alias evidenter cognoscit non posse terminari subsistentia aliena creata, & subsistere à parte rei aliqua subsistentia divina: ergo cognoscit evidenter subsistere subsistentia divina.

Nec refert, si dicas, Angelum, esse cognoscat non habere subsistentiam propriam, nec posse terminari subsistentia aliena creata, non tamen penetrare, an habeat subsistentiam divinam: quia natura creata potest existere sine vlla subsistentia, ut videntur N. Salm tract. 21. disp. 8. à numer. 87. ¶ Non inquam refert: quia semper inflat argumentum circa existentiam divinam, sine qua vel sine propria: adhuc per potentiam Dei absolutam non queit poni extra causas. Unde si Angelus cognoscit certò carentiam existentis propriæ, potest certò investigare existere per existentiam divinam.

Propter hoc argumentum, & alia similia plures fautores nostræ sententiæ concedunt Angelum posse viribus nature certò cognoscere mysteria gratiæ quoad *an esse*, seu abstractivè. Sed hæc doctrina nullatenus sustinenda est propter rationem nostræ conclusionis: nam nullum est medium naturale, in quo possit certò cognoscere mysteria gratiæ: nam vel est causa, vel est effectus. Non in causa: tum, quia nulla potest esse causa naturalis alicuius effectus supernaturalis: tum & quia in causa naturali nequit cognosci certò nisi effectus naturalis. Neque in effectu: siquidem effectus vndequeque naturalis tantum petit causam naturalem, ac proinde solum potest ducere in cognitionem causæ naturalis. Unde, missa hac doctrina, melius responderetur negando mai. Ad cuius probationem satis responderetur à nobis tract. de Incarnat. disp. 1. num. 3.

139 Arguitur *secundò*: Nam Angelus vi sua naturali cognoscit corpus Christi esse in Eucharistia; sed modus, quo corpus Christi est in ea, est supernaturalis entitativè, ut tradunt N. Salm. tract. 23. disp. 6. num. 28. ergo cognoscit certò aliquid supernaturale. Maior probatur: nam anima Christi viribus sue nature cognoscit, se & corpus eius esse vbiunque est; est in Eucharistia: ergo cognoscit corpus Christi esse in Eucharistia.

Ad hoc argumentum responderetur cum D. Thoma 3. part. quest. 76. art. 7. ubi hæc ait: *Proprie loquendo corpus Christi, secundum modum essendi quem habet in hoc sacramento, neque sensu neque imaginatione perceptibile est, sed solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis. Percipitur autem diversimodè à diversis intellectibus. Quia enim modus essendi, quo Christus est in hoc sacramento, est penitus supernaturalis, à naturali intellectu, scilicet divino, secundum se invisibilis est; & percipiens ab intellectu beato, vel Angeli, vel homi-*

homini, qui secundum participatam claritatem divini intellectus videt ea, quæ supernaturalis sunt, per visionem divinæ essentia. Ab intellectu autem hominis viatoris non potest cognosci nisi per fidem, sicut & cetera supernaturalia. Sed neque etiam intellectus Angelicus secundum suam naturam alia sufficit ad hoc intendendum. Vnde Demones non possunt videre per intellectum Christum in hoc sacramento nisi per fidem, cui non voluntariè assentiunt, sed ad eam evidentia signorum convincuntur. Ex quibus saltem concluditur, Angelum naturaliter non cognoscere vniõnem supernaturalem, qua corpus Christi est in Sacramento.

Dubium tamen est: An possit naturaliter cognoscere ipsum corpus Christi existere in Eucharistia? ¶ Ad quod probabiliter potest responderi affirmativè: quia est quædam entitas naturalis. Quin ex hoc possit deduci, quòd cognoscit certò modum ipsum supernaturalem: quia non repugnat, quòd vnum cognoscatur non cognitio alio, quando vnum non est de essentia alterius, nec eiusdem ordinis cum illo, ut in præfati continetur.

Sed melius dicendum est, quòd Angelus non cognoscit naturaliter corpus Christi esse in Eucharistia, quia prout ibi existens non est pars huius universi, nec habet ordinem ad partes illius. Vnde sicut ob hanc rationem Angelus nequit cognoscere naturaliter secreta cordium, ita non potest cognoscere corpus Christi existere in Eucharistia. Anima autem Christi quamvis non possit naturaliter cognoscere modum præfatum supernaturalem, revera potest cognoscere corpus eius esse in Eucharistia: quia sicut potest cognoscere sua secreta, quia pertinent ad ipsum, etiam propter eandem rationem potest cognoscere corpus eius esse in Sacramento. Videantur N. Salm. in loco argumento allegato num. 80.

140 Pro completa solutione huius argumenti, & aliorum similibus: Scienda est mirabilis quædam doctrina D. Thomæ 1. part. quest. 58. art. 5. ubi inter Angelos bonos & malos ponit hoc discrimen circa obiecta supernaturalia in re existentia, & ait, quòd boni non se precipitant, sicut mali, ad formandum iudicium alteriorum de his, si non habent sufficientes vires ad ea certò cognoscenda, sed suspensi manent in eorum cognitione, quia non præsumunt se cognoscere aliquid excedens vires suas; & cum vires naturales non sufficiant ad cognitionem obiecti supernaturalis, ideo suspendunt iudicium de illò, ne incidant in aliquem errorem, qui eis repugnat. Angeli autem mali aliter se habent, quia precipitant se, & iudicant de rebus, quas naturaliter percipere non valent, ideoque se exponunt errori in penam sui peccati.

141 Arguitur *tertiò*: Nam Angelus naturaliter cognoscit dotem gloriosam; sed dos cor-

poris est supernaturalis: ergo cognoscit naturaliter aliquod ens supernaturale. Maior est expressa Salm. tract. 9. disp. 5. n. 40. Maior autem probatur: Angelus naturaliter cognoscit effectum dotis: cognoscit enim effectum dotis claritatis, qui est lucere, & effectum dotis subtilitatis, qui est vnum corpus pertransire aliud; sed cognoscens effectum necessario connexum cum causa, eadem virtute potest cognoscere ipsam causam, maxime quando effectus est in genere causæ formalis & indistinctus ab ipsa, ut contingit in his dotibus: ergo Angelus naturaliter cognoscit dotem corporis.

Nec præoccupabis vim argumenti, si dicas, dotem esse naturalem, ut probabilis docent prælaudati PP. loco citato à num. 41. Non inquam, præoccupabis: quia opponitur expressè D. Thomæ 3. dist. 26. quest. 2. art. 1. ad 4. ubi ait: *Claritas huius vite, scilicet naturalis, non est proportionabilis claritati patrie, sed alterius generis existens.* Idemque tradit alijs in locis reatis à prædictis PP. loco in argumento relato.

Et confirmatur: Nam claritas corporis gloriosi potest naturaliter videri ab oculo corporeo non glorioso, ut tradit D. Thomas in Supplem. 3. part. quest. 85. art. 2. ergo etiam potest naturaliter cognosci ab Angelo: ergo si est supernaturalis, iam aliquid ens supernaturale potest ab Angelo naturaliter cognosci. Augetur hoc: nam dos corporis gloriosi est proprietates visionis beatæ; sed cognita certò proprietate, etiam potest certò cognosci forma, ex qua dimanat: ergo si Angelus naturaliter cognoscit dotem corporis gloriosi, etiam potest naturaliter cognoscere existentiam visionis beatæ.

142 Ad hoc argumentum responderetur, sistendo solutionem inter argumentum datam. Ad replicam ex testimonio D. Thomæ desumptam dicimus, S. Doctorem ibi non loqui de claritate in seipsa, sed in ordine ad causam efficientem. Quapropter in 4. dist. 44. quest. 2. art. 4. quest. 2. ad primum quod adducitur in Supplem. 3. part. loco supra relato ad 1. ait: *Quædam, quod gloria claritas erit alterius generis quam claritas nature quantum ad speciem causæ, sed non quantum ad speciem: vnde sicut claritas nature ratione speciei sue est proportionata visui, ita claritas gloriosa. Per quod constat ad confirmationem.*

Ad augmentum illius dicimus, quòd etiam dos corporea est proprietates visionis beatæ, non sequitur, quòd illa cognita debeat cognosci ipsa visio beata, quia ex cognitione proprietatis tantum sequitur cognitio formæ, ex qua dimanat, quando sunt in eodem ordine & eiusdem immaterialitatis, quòd in præfati non contingit. Nec pro hac doctrina confirmanda deficit exemplum: potentia enim viviva est proprietates animæ rationalis; & nihilominus ex cognitione poten-

tie viviva non sequitur cognitio certa anime rationalis, vt ex se constat. Et ratio est eadem vtroque: quia potentia viviva non est proprietatis, que dicitur ad convertentiam cum anima rationali, nec eiusdem gradus immaterialitatis; nec claritas corporis gloriosi cum visione beata.

143 Arguitur *quarto*: Angelus naturaliter certo cognoscit suum peccatum habituale: ergo cognoscit naturaliter gratiam. Consequentia est legitima: nam eadem virtute, qua cognoscitur privatio forme, cognoscitur etiam ipsa forma, cum privatio non cognoscatur nisi per speciem forme, qua privat, & cum peccatum habituale consistat in privatione gratie, inde est, quod si Angelus naturaliter cognoscit suum peccatum habituale, etiam cognoscere possit gratiam. Antecedens probatur: nam peccatum habituale est quid naturale & effectus peccati actualis; sed Angelus cognoscit, quidquid pertinet ad lineam naturalem, nec non peccatum actuale: ergo etiam cognoscit naturaliter peccatum actuale.

Et confirmatur: Nam etsi homo esset conditus in puris naturalibus, posset cognoscere finem supernaturalem: ergo etiam Angelus. Antecedens probatur: nam peccaret contra finem supernaturalem, cum peccatum habituale illius consistat in privatione gratie: ergo posset cognoscere finem supernaturalem. Probatur consequentia: nam nullus peccat contra aliquem finem sine pravia cognitione talis finis: ergo si peccaret contra finem supernaturalem, cognosceret illum.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quod Angelus nequit naturaliter cognoscere suum peccatum actuale, quatenus opponitur virtuti & fini supernaturali, nisi media revelatione & fide supernaturali, quia licet entitative sit quid naturale, averfivè est quid supernaturale. Vnde tantum potest naturaliter cognoscere suum peccatum actuale, quatenus opponitur virtuti naturali. Ex quo infertur, quod nullo modo potest cognoscere peccatum habituale, quia per se primo consistit in privatione gratie, & vt recte probat argumentum, solus ille, qui directe potest cognoscere gratiam, potest indirecte cognoscere eius privationem.

Ad confirmationem respondetur, hominem, in puris conditionem solam peccatum fore expresse contra finem naturalem, & ideo solum indigebat hanc finem formaliter pro expresse cognoscere. At quia peccando contra finem naturalem, delinqueret etiam appetitive & virtualiter contra finem supernaturalem, ad quod sufficiebat cognitio virtualis & implicita illius, propterea peccatum habituale consisteret in privatione gratie, quia quantum ad affectum peccandi poneret obicem ad introductionem gratie, cum peccando expresse contra finem natu-

ralem positive se indifferenter ad conversionem in finem supernaturalem, & hoc sufficit, vt adhuc in illo statu peccatum habituale consisteret in privatione gratie.

§ III.

Alia argumenta.

144 Arguitur *quinto*: Angelus naturaliter cognoscit miracula, que consistunt in aliqua entitate naturali, v. g. reurrectionem mortui: ergo evidenter cognoscit aliquod ens supernaturale. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: nam hec miracula petunt causam supernaturalem: ergo cognoscens ista miracula, etiam cognoscit ipsam causam supernaturalem. Patet consequentia: nam, cognitio effectus ex vi eiusdem cognitionis debet cognoscere causam, a qua essentialiter dependet.

Et confirmatur: Angelus naturaliter comprehendit assensum verum, quem hereticus elicit circa mysterium (v. g. Incarnationis): ergo potest naturaliter cognoscere huiusmodi mysterium. Antecedens est certum: nam Angelus naturaliter & comprehensive cognoscit actus occultos alterius, si ad eum dirigantur: ergo cum assensus hereticus circa mysterium Incarnationis sit naturalis, naturaliter debet ab Angelo comprehendi. Consequentia vero probatur: nam si Angelus comprehendit talem assensum, etiam cognoscit certo esse verum: nam qui comprehendit essentiam, etiam certo & quidditative cognoscit proprietates illius, quales sunt veritas & falsitas respectu assensus intellectualis, sed nequit naturaliter cognoscere talem assensum esse verum, nisi cognoscit certo mysterium Incarnationis: ergo.

Ad argumentum respondetur *primo*, cum Theologorum probabilissima sententia asserente Deum vt autorem nature posse patrare miracula intra terminos eiusdem nature: Nam longè excedit creatio Angelis patrationem huiusmodi miraculorum, cum ad creandum nulla creatura vilo modo possit concurrere, licet ad patranda miracula creatura aliquo modo concurrant: Et certe creatura facta per creationem non dependet à Deo nisi vt ab autore naturali. Quapropter iuxta hanc doctrinam dicendum est, Angelum ex cognitione naturali horum effectuum etiam certo cognoscere causam; sed inde nil infertur contra nos, cum ex hoc tantum arguatur cognitio Dei authoris naturalis, sicut ex effectu facto per creationem. Si vero creatura concurrat vt instrumentum Dei ad patranda hæc miracula, Angelus non cognoscit motionem supernaturalem ad hoc requisitam, nec concurrem immediatum illius in huiusmodi effectus.

Si vero vt Author gratie concurrat ad patranda miracula (quod difficile est, cum non or-

ordinentur intrinsece ad finem supernaturalem) Respondetur (& erit secunda solutio) quod Angelus ex vi cognitionis miraculorum non cognoscit certo causam illorum adhuc quoad an est: quia est ex cognitione effectus cognoscit causam, quando sunt eiusdem ordinis, secus vero quando causa est superioris ordinis. Ad quod habenda est etiam præ oculis illa doctrina egregia D. Thomæ relata num. 140. qua ponit differentiam inter Angelos bonos & malos: erit enim necessaria pro hoc & alijs argumentis eiusdem artificij.

Ad confirmationem respondetur, quod est Angelus cognoscit comprehensive assensum naturalem, qui dependet ex obiecto naturali, nequit tamen comprehendere assensum, cuius veritas aut falsitas dependet ex obiecto supernaturali, siue conditione aliqua supernaturali. Assensus ergo verus, quem elicit hereticus de mysterio Incarnationis, dependet tanquam ex conditione à revelatione, cui licet non assentiatur sub motivo supernaturali, sed naturali, adhuc tamen nisi hæc præsupposita non posset elicere illum assensum. Vnde qui naturaliter cognosceret huiusmodi assensum, nulla pravia revelatione illi facta, nullo modo posset cognoscere, an sit verus, vel falsus.

145 Arguitur *sexto*: Angelus habens actum supernaturalem experitur se illum habere: ergo potest eum naturaliter cognoscere. Antecedens probatur: nam nos experimur habere actus supernaturales, quibus credimus, speramus, & amamus Deum: ergo etiam Angelus.

Et confirmatur *primo*: Nam Angelus veritas per actum reflexum experitur se habere via finem beatam: ergo per illum cognoscit ipsam beatam visionem. ¶ Confirmatur *secundo*: Nam Angelus saltem naturaliter cognoscit existentiam suorum, & nostrorum habituum supernaturalium: nam videt suos, & nostros habitus naturales produci & augeri per actus: videt etiam, dum elicit, vel elicitus actus fidei, spei, & charitatis, non produci & augeri habitus naturales: ergo dum experitur se, aut nos elicere actus fidei, spei, & charitatis, cognoscit certo existentiam habituum & actuum supernaturalium. Alijs terminis: dum elicit actus fidei, spei, & charitatis, cognoscit certo non esse naturales, quia actus naturales iam cognosceret esse tales: ergo cognoscit certo esse supernaturales. Patet consequentia: nam non datur medium inter actum naturalem, & supernaturalem.

Confirmatur tandem autoritate D. Thomæ 1. 2. quæst. 112. art. 5. ad 2. vbi ait: *De ratione scientia est, quod homo certitudinem habeat de his, quorum habet scientiam; & similiter de ratione fidei est, quod homo sit certus de his, quorum habet fidem: & hoc ideo, quia certitudo pertinet ad perfectionem intellectus, in quo prædicta dona existunt. Et ideo*

quicumque habet fidem, certus est se habere: ergo homo certo cognoscit per actum reflexum independentem à revelatione se habere fidem supernaturalem.

Ad argumentum respondetur, quod est Angelus naturaliter cognoscit se credere, sperare, & diligere; non tamen experitur naturaliter qualitatem actus credendi, sperandi, & amandi, dum huiusmodi actus sunt supernaturales: sicut & nos, dum credimus, speramus, & diligimus supernaturaliter, hoc experimur habere; sed non cognoscimus naturali cognitione, an tales actus sint supernaturalis, ob quam rationem non possumus certo cognoscere & experiri nos esse in gratia, vt cum Concilio Trident. sess. 6. cap. 9. tradunt N. Salm. tract. 14. disp. 9. dub. unico, vbi de hoc specialiter questionem instituit. De visione beata est alia ratio: quia per scientiam supernaturalem cognoscit se habere visionem beatam, quia habet speciem quidditativam de ea; vel per ipsam visionem, quatenus reflectitur supra se ipsam. Per quod patet ad primam confirmationem. ¶ Ad secundam respondetur, negando antecedens. Pro quo recolenda est celebris illa doctrina D. Thomæ circa differentiam Angeli boni & mali circa obiectum sibi excedens: circa quod bonus suspendit iudicium, ne se exponat errori; cui male & temerarie malus se subicit in prænam sui peccati. Et nec vnus, nec alius certo potest cognoscere actus proprios, vel alienos supernaturales, est cognoscit actus effectus non esse naturales.

146 Ad tertiam ex autoritate D. Thomæ depromptam: Respondetur *primo* cum N. Salm. loco supra relato num. 16. concedendo, fidem certo cognoscere se habere fidem. Quia cum actus fidei sit certus, & ad intellectum pertineat, potest de se per seipsum certificare intellectum. Vnde non certificatur de illo per aliquem actum naturalem; vt arguens intendit, sed per ipsum actum fidei per quandam reflexionem, sicut de visione beata supra dictum est. Ex quo nequit desumi argumentum ad actus supernaturales voluntatis, quia ex se non afferunt certitudinem de seipso, sicut nec pertinent ad lineam intellectivam.

Respondetur *secundo*, D. Thomam in prædicto testimonio loqui de certitudine obiectiva; seu circa obiectum; secus vero de certitudine circa actum. Pro quo notandum est, quod cum dicitur, fidelem habere certitudinem suæ fidei, potest designare obiectum: Et in hoc sensu verum est, quod habet certitudinem de obiecto, quod credit, quia imitatur infallibili Dei testimonio. Vel designat actum credendi, non de terminando tamen, quod actus sit huius vel alterius ordinis: Et hoc modo etiam habet certitudinem sui actus, quia evidenter experitur se credere & subijcere Ecclesie catholice. Vel tandem designat qualitatem actus credendi: Et in

hoc sensu falsum est, quod fidelis habeat certitudinem fidei supernaturalis: quia hoc nec est revelatum à Deo, nec habet speciem propriam illius. Ducimur etiam ad hanc responsionem ex eo, quod ad actum supernaturalem fidei requiritur motio supernaturalis voluntatis, sine cuius certitudine nequit haberi certitudo de ipso actu fidei. Homo autem nequit habere certitudinem de hac motione voluntatis, sicut nec de attritione supernaturali, quia pertinent ad lineam affectivam. Et hac de causa nequit habere certitudinem de actu fidei supernaturalis.

147 Pro completa huius noticia solum restat explicare, quo pacto principia aliqua naturalia attinguntur certo, vel probabiliter mysteria supernaturalia. Videmus enim, quod Theologia, cum sit in nostra sententia qua ita naturalis, versatur certo circa mysteria gratiæ, & species naturales deservunt ad assensum fidei supernaturalis. Videmus in super, quod Theologi per principia naturalia suadent sapè mysteria gratiæ, sicut D. Thomas, ex eo quod intellectus per quancunque intellectionem naturalem producit verbum, arguit Patrem æternum producere Verbum divinum.

Sed quantum ad Theologiam nostram vnum pro certo habendum est, quod nec elicit actus entitativè supernaturales, nec attingit obiectum entitativè supernaturale vt tale, id est sub motivo supernaturali, sed vt naturale, & sub motivo naturali. Pro quo sciendum est, quod licet Theologia supponat pro radice divinam revelationem & assensum fidei, ac nec divina revelatio, nec assensus fidei elevat supernaturaliter ipsam Theologiam. Præsupposito tamen assensu fidei ex motivo revelationis divina, Theologia solum contemplatur connexionem connaturalem inter premissas & conclusionem, vt liquet in hoc enthymemate: *Christus est rationalis: ergo est visibilis*. Supposita enim tanquam regula extrinseca revelatione, & cognitione fidei circa mysteria gratiæ, Theologia tantum contemplatur connexionem, quæ datur inter rationale & risibile, quæ, vt constat, est naturalis; sed nec hoc modo illam attingeret, nisi præcederet revelatio & assensus fidei, quod signum est, vt nullum principium naturale deservitum auxilio & lumine supernaturali possit investigare mysteria supernaturalia. Sed pro hoc vide, quæ diximus tract. 1. disp. 1. dub. 4.

148 Quantum ad species deservientes fidei aut prophetiæ, concedendum est esse entitativè naturales, quia non representant per se primo supernaturalia, sed tantum naturalia: v. gr. species, quæ deservit fidei ad cognitionem Trinitatis, non representat per se primo Trinitatem, sed primariò creaturas, & secundariò se extendit ad representandam Trinitatem per quandam analogam similitudinem. Supposita enim apprehensione terminorum & revelatione, cui intel-

lectus firmiter adhæret, non est necessaria nova species, vt eliciat assensum fidei, quia sufficit nova coordinatio prædictarum specierum, quæ est supernaturalis, & ad quam præsupponitur ex parte specierum novum auxilium supernaturale, vt tradit D. Thomas 2. 2. quæst. 173. art. 2. ad 2. & quæst. 8. de Pot. art. 9. ad 5. Vnde duplex principium supernaturale datur ad actum fidei vel cognitionem prophetiam: aliud se tenens ex parte potentie, & hoc est habitus fidei; & aliud se tenens ex parte specierum, & hoc est illud auxilium: & vtrunque est tota ratio agendi, vt alibi diximus.

149 Quantum ad rationes Theologicas, quæ assumuntur ad suadenda mysteria gratiæ: Dicimus, per tales rationes non suaderi certo aut probabiliter positive prædicta mysteria, sed tantum ostendi non repugnantiam talium mysteriorum per solutionem argumentorum. Ex hoc tamen non probatur, rationes naturales, quibus vtuntur Theologi, convincere adhuc probabiliter ipsa mysteria: quia nullum mysteriorum gratiæ adhuc probabiliter continetur positive in principio naturali. Dicitur tamen probabiliter negativè illa ostendere, quod est idem ac dicere, quod solum probant ea per aliquid non repugnans rectè rationi & veritatibus naturalibus, quod est magis occurrere argumentis, quæ prætendunt suadere eorum impossibilitatem, quam eorum possibilitatem positive ostendere. Sed nec his rationibus possent Theologi vt, nisi prævia cognitione eorum media revelatione & fide. Quæ doctrina perspicue explicatur à D. Thoma 1. part. quæst. 32. art. 1. ad 2. & videri potest in N. Salm. tract. 14. disp. 3. num. 5.

Quid dicendum sit de demonibus, & hæreticis, qui eliciunt assensum circa aliqua mysteria gratiæ deservitum auxilio supernaturali, vide quæ diximus tract. 1. disp. 1. dub. 2.

DUBIUM VIII.

An Angelus possit simul intelligere plura & plura: Et an intelligat discernendo & componendo

TRia hæc, quæ ad modum cognitionis Angelice conducunt, & de quibus tractat expressè D. Thomas quæst. 8. in 2. 3. & 4. articulo, sub vno dubio brevitatis causa compleximur. Sed ad maiorem eius claritatem illud secabimus in tres assertiones per totidem §§.

* * * * *

§. I.

Prima assertio circa cognitionem pluriarum.

Dicendum est primo, Angelum non posse simul intelligere plura vt plura. Conclusio est D. Thomæ loco citato art. 2. & quæst. 85. art. 4. alijque in locis, quæ congerunt N. Salm. in præf. disp. 8. dub. 1. Consonantem cum Philosopho, qui 2. Topic. cap. 4. ait: *Contingit intelligere unum, scire verò plura*. Quæ verba D. Thomæ quæst. 8. de Verit. art. 14. ad 7. sic explicat: *Dicendum, quod scientia nominat habitum, intelligere verò actum. Formæ autem possunt esse simul plures in intellectu vt in habitu, non verò vt in actu perfecto, vt ex prædictis patet. Et ideo contingit simul multa scire, non simul multa intelligere*. Angelicum Doct. sequuntur communiter eius discipuli.

Et probatur eius ratione in præf. Nam Angelus non potest simul plura vt plura intelligere vnica tantum operatione; sed nec pluribus: ergo nec simul plura vt plura intelligere. Maior probatur (deinde probanda est minor) Nam si, cui ad unitatem motus requiritur unitas termini, ita ad unitatem operationis requiritur unitas obiecti, vt ait D. Thomas in præf. ergo Angelus vnica operatione nequit intelligere plura vt plura. Deinde probatur minor tum ex D. Thomæ loco vltimo citato ex 1. part. vbi ait: *Impossibile est idem subiectum perfici simul pluribus formis vnici generis, & diversarum specierum: sicut impossibile est, quod idem corpus secundum idem simul coloretur diversis coloribus, vel figuretur diversis figuris*. Tum etiam: quia impossibile est, quod eadem forma terminetur pluribus existentis, & eadem linea pluribus punctis: sed intellectio est terminus vltimus intellectus, sicut punctum linea, & existentia forma, cum sit existentia illius in esse intelligibili: ergo impossibile est, quod Angelus intelligat simul plura vt plura pluribus intellectionibus.

151 Respondebis huic rationi, ex illa tantum sequi intellectum non posse plura vt plura simul intelligere, quando ponit totam suam attentionem, totumque connatum in vno obiecto, secus verò si divideret attentionem circa obiecta, ita ut pars attentionis (vt sic dicamus) sit circa vnum obiectum, & pars circa aliud: quia tunc vtraque intellectio non erit sub actu perfecto: & propter aliquid assumptum est illud vulgare axioma: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*. Adde: nam sicut idemmet calor, quando calefacit plura ligna, elicit simul plures calefactiones inter se non ordinatas, ac proinde vt plures, ita Angelus poterit elice:

re plures intellectiones disparatas & eisdem generis.

Sed hæc evasio facile dispellitur: Nam quòd intellectus non ponat totam suam attentionem & connatum in intelligendo obiectum, non tollit, quòd ipsa intellectio sit vltima actualitas intellectus; sed hoc ipso nequit dari locus, vt habeat aliam vltimam actualitatem dispartate se habentem cum illa: ergo eò intellectionis Angelis non ponat totum connatum in vnoquòque obiecto, adhuc non potest plura obiecta dispartata simul intelligere. Probatur minor persistenti do in exemplis supra adductis: nam eo ipso, quòd corpus figuretur vna figura, nequit simul figurari alia, neque forma terminata vna existantia potest alia terminari: ergo nec intellectiones pluribus intellectionibus. Axioma illud non desumptum fuit ex eo, quòd intellectus intelligat simul pluribus intellectionibus plura vt plura, sed ex eo quòd intellectus noster, dum intelligit hoc obiectum, citò transit ad aliud, & fluctuat de hoc in illud.

Additamentum etiam dispellitur: Nam idemmet calor potest elicere simul plures calefactiones, quæ sunt plures præcisè materialiter, nec est ratio subiecti, in quo recipiuntur, si enim subiectum non multiplicaretur, actio maneret immultiplicata; sed intellectiones, quibus Angelus intelligeret plura vt plura, non possunt multiplicari ratione subiecti, vt ex se liquet: ergo nequit pluribus intellectionibus intelligere simul plura vt plura. Adde: Nam calor, quatenus est ex parte virtutis, non elicit plures calefactiones, nisi per modum vnius, quatenus sub vna ratione inferuntur passionem & calores productos; sed intellectiones proveniunt ab intellectu, vt sunt diversè formaliter, cum provenirent à diversis speciebus intelligibilibus; ergo eò calor possit elicere simul plures calefactiones; intellectus autem nequit elicere simul plures intellectiones.

§. II.

Fundamenta opposita sententiæ.

Oppositam opinionem tenent Suarez lib. 2. cap. 37. Molina in præf. disp. 1. Vazquez disp. 220. cap. 2. & alij ab his citati. Et arguunt primo: Angelis potest simul cognoscere omnia ea, quæ vnica specie representantur; sed potest illa simul cognoscere pluribus cognitionibus: ergo potest intelligere simul plura vt plura. Maior videtur certa. Ex minor probatur: Nam demus, quòd Angelus vteatur hac specie inædquata, v. gr. quatenus representat Petrum; sed potest retenta hac cognitione cognoscere Paulum: ergo illos cognoscet simul duplici cognitione. Minor probatur: Nam per hoc, quòd incipiat cognoscere Paulum,